



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibus, Qvarvm permultæ antehac nunquam
in lucem prodire

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10261

De S. Athanasia abbatissa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)

Cap. 10.

Alio quoque tempore in pago Felua vocabulum continente, quendam virum tantæ asperitatis lepra discolorauit, vt vix alicui præ scabie nimia, vultus illius appareret, labes insuper ipsam oculorum excauit aciem, quod ille nequaquam visu agnosceret potuit aliquem, quia tanta miseria cruciatus solummodò sibi superfuit anhelitus. Contigit autem illum quadam nocte visionem sibi videre, per quam obstupefactus à suo cecidit stramine, seque in modum crucis prostrauit, clamans ac vociferans, clamando Kyrie eleison sæpè iterauit. Eo clamore sui parentes expergesti, coeperunt interrogare quid euenisset illi, quod plus solito impatiens esset. At ille visionem benè recolens, cuncta quæ viderat eis per ordinem retulit, ita dicens: Visum est mihi per quendam locorum ire debere, quem cœnosa palus circuncinxit vndique, vt nullatenus patuit via transeundi, per quam inde abire potui. Hic dum admodum anxierentis expers, obuiauit mihi sacerdos venerabilis ad spectu, sacerdotaliq; venerabiliter indutus habitu, quasi processurus esset ad Missarum solennia, præparatoque ponte supra paludem me transduxit incolumem, & ait: Estne tibi cura sanari? Scito me Vuerenfridum appellari, & per me mereris à lepra curari. Cùm autem celebrabitur solennitas Archangeli Michaelis, tu ad Elst peruenire debebis, ibique dum diuina à pontifice Missarum celebrantur solennia, tu mundaberis à labe mortifera. His auditis, parentes sui solito lætiores effecti sunt, & eum sicut ipse voluerat ad Elste perduxerunt. Nec diu visio promissionem distulit. Nam vt pontifex qui tunc temporis illic præfuit, sub eodem die quem prædixerat Missarum libamina Domino libauerat, ita euanuit ab illo pestis torrida, vt in eo veneniferi coloris non comparuerit macula. Ipse verò non solum se à lepra mūdātum esse per sensit, sed etiam amissam oculorum lucem percipere meruit. Huius stupendi miraculi declaratio, non vnus vel duorum affirmatur testimonio, verumeriam totius populi, qui tunc ad ecclesiam confluxerat, manifestissima declaratio verum esse demonstrat. Hæc & multa alia miracula, quæ per longum est cuncta narrare per singula, Dominus noster Iesus Christus dignatus est ibidem ostendere, quatenus per hæc miraculorum beneficia, quantæ dignitatis seruus suus apud se haberetur, nobis omnibus apertè monstraretur. Qua de re summo perè credendum est, quòd possit suis meritis vulnera peccatorum sanare, qui totidem modis corporū languores dignatus est subueniendo medicare: Præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria per immortalia secula seculorum, Amen.

Apparet S. Vuerenfridus vnilepso infomnis & iubet eum suum visitare sepulcrū.

Curatur idē à sua lepra & cæcitate.

Multa quoridie ad eius sepulcrum sunt miracula.

VITA ET INSTITVTIO SANCTÆ MATRIS NOSTRÆ ATHANASIAE, EIVSQUE MIRACVLA, à quodam viro pio narrata, qui partim ea vidit, partim à mulieribus ipsius matris familiaribus audiuit. Ex Simeone Metaphraste. Numerum capitum apposuimus margini.

14 Augusti Cap. 1.



Cap. 2. S. Athanasia parietes & patria.

Septennis Pfalterium ediscit.

Cap. 3.

POSTOLI Pauli præceptum est, vt Sanctorum memorijs communicemus. Eorum verò vitam atque institutionem conscribere, & ea legentibus communem vtilitatem proponere, illud certè laudabile est ac salutare. Beata igitur foemina Athanasia vitam conscribere conabimur, pauca quædam eorum, quæ ad illam pertinent, oratione percurrentes: ne temporis diurnitate res ipsæ obliuioni tradita, plurimis hominibus damnum afferant.

Hæc foemina laudè digna, & immortalitatis nomine prædita, quæ vitam ipsam benè transegit, Dei que vniuersorum Domini optimam ancillam se præbuit, patre Niceta, matre verò Irene, orta est, parentibus sanè genere præstantibus, & Deum valdè timentibus, qui domum in insula Aegina possidebant: è quibus genita, & ad vitam humanam promotā, vtilissimum quoddam sanctissimi Spiritus vas extitit. Illa cùm esset annos septem nata, breui tēpore Pfalterium edidicit, & diuinis literis prompto animo operam nauabat.

Cùm igitur quodam die federet, & sola telam texeret, vidit stellam quamdam valdè splen-

splendidam ad suum usque pectus descendere, sequē ab illa multum illustrari, ac felicem ipsam postea ex oculis suis euanescere. Ex ea igitur re cum eius anima multo lumine illustrata esset, omnino vitæ huius vanitatem odisse coepit. Cumque sibi proposuisset ad monasticam institutionem se conferre, eius parentes inuitam & nimitum recusantem, multam ei violentiam adhibentes, cum viro collocarunt: quo cum sexdecim solos dies habitauit, ac repente vidua remansit. Cum enim Maurisij barbari homines in illas regiones irrupissent, atque Athanasia vir ad prælium egressus esset, iudicijs illis, quæ Deus nouit, factum est ut gladio interficeretur.

Vifio eius.

Inuita nubit.

Maritus eius cæditur.

Cum igitur multum temporis præterisset, & Athanasia secum ipsa certaret, & ad monasticam vitam mentem dirigeret, regale quoddam edictum repente prolatum est, ut mulieres, quæ nuptæ non erant, seu viduæ, ijs viris, qui essent ex natione, collocarentur. Ex eo igitur factum est, ut Athanasia non antea monasticam vitam aggredi posset, quam eius parentes eam ad alterum virum ducendum impulerint. Quæ res quantumvis facta sit, illa tamen, ut consueuerat, propriam salutem curabat, psalmorum cantibus & diuinis lectionibus diligenter vacans, neque vllarum bonarum rerum aut studiorum mutationem accipiens: sed mansuetudine ornata, cordis humilitate sanctissimè fulgebat, ita ut ab hominibus, qui bonos ipsius mores audiuiissent, laudatissima illa foemina dilecta valde fuerit. Eleemosynæ verò tantoperè studebat, ut quæ domi habebat, quantumvis plurima illa essent, ad copiosam tamen manû ipsius distributionem minimè sufficerent. Omnes enim Monachos, qui vndique peregrè veniebant, benignè accipiens, viduis, pupillis & omnibus indigentibus abundè suppeditabat, quæ vitæ sunt necessaria.

Cap. 4.

Cogitur ad alteras trāsire nuptias.

Facit multas eleemosynas.

Cum verò aliquando fames esset, omnesque inopia premerentur, illa non solum ijs, qui eiusdem fidei homines erant, nutrimenta copiosè largiebatur: sed alienis etiam, qui Atthingani appellabantur, fame tunc oppressis, & ad eam accedentibus, misericordia commota, victum impertiebat. Illud enim Domini præceptum obseruabat: Estote misericordes, ut pater vester cælestis: qui facit solem suum oriri super malos & bonos, & pluit super iustos & iniustos. Neque solum nutrimenta illis tribuebat, verum etiam vestibus eos fouebat, & alijs donis consolabatur. Dominicis verò & festis diebus vicinas omnes amanter ad se congregans, diuina scripta illis legebat, eorum mentem aperiens, & ad Domini timorem ac desiderium diuino quodam modo illas erigens.

Cap. 5.

Luc. 6. Matth. 5.

Eius eleemosynæ spirituales.

Cum igitur in his, quæ Dei sunt, ita proficeret, & virtutibus ipsis, ut campus multis floribus, abundaret, coniugi suo persuasit post aliquot annos conuictus, quæ cum illo habuerat, ut admonitionibus suis cedens, mundo & his omnibus, quæ in eo sunt, renunciaret, & ad sacram monachorum institutionem se conferret. In qua cum sanctè versatus esset, & in ea excellisset, postea dormiuit in Domino: Beata igitur illa foemina, libertatis tempus nata, se totam per omne tēpus Deo ipsi dedicauit. Nam cum & alias mulieres valde religiosas inuenisset, quæ & idem propositum habebant, & spiritu ipso ardentibus erant, illis concordi animo adhærens, quamprimùm ex huius mundi confusione se remouit. Cumque omnia, quæ possidebat, pauperibus distribuisset, vnà cum moribus & mundi habitum mutauit cum illis ipsis honestis mulieribus, quas supra diximus. Itaque cum quodam in loco quietam vitam ducere coepissent, cuiusdam viri sancti & virtute præditi adhortatione, qui & eas totondit, post tres aut quatuor annos Athanasia earum mulierum, quæ cum illa erant, principatum etiam inuita suscepit, prima quidè ab illis nominata, sed omnium nouissimā, quòd ad mentis sensum pertinet, seipsam existimans, ut illud Domini præceptū seruaret: Qui vult in vobis esse primus, sit omnium nouissimus & vltimus.

Cap. 6.

Maritus eius fit monachus.

Athanasia fit præfecta monachorum.

Matth. 20.

Sed quamnam oratio, aut quæ lingua humilitatis & submissionis, qua foemina illa excellebat, celsitatem explicare posset? Neque enim vnquam passa est, ab aliqua earum mulierum, quæ cum ipsa erant, ministerium sibi præberi, vel aquā in manus dari per totum vitæ suæ tempus: quemadmodum quæ cum ea vixerant, post sanctum eius obitum, omnes illius regionis homines de ea re certiores fecerunt. Illa enim se indignam putabat, quæ vnà cum ipsis versaretur: tantum abest, ut sibi tanquam præfidenti, ab illis ministrari vellet. Cum etiam abstinentia multum valeret, paulum panis & aquæ post nona horæ tempus gustabat, caseo & pisce omnino abstinens: quæ in solo die festo Paschæ, Deo gratias agens, gustare solita erat. Sanctæ verò Quadragesimæ diebus post biduum sumens cibum, crudis tantum oleribus contenta erat, in

Cap. 7.

Multa eius humilitas.

Magna abstinentia.

- illis sanctis diebus omninò porum non gustans. Cumque dormiret, non in latus, sed in vnum quandam lapidem, ad id ipsum accommodatum, sese inclinans, parùm fo-
 Lectus eius rum capiebat. Neque solùm in sancta & magna Quadragesima, sed etiam in sancto-
 rum Apostolorum, & sacratissimi diei natalis Christi Saluatoris nostri temporibus,
 eandem exercitationis & vitæ regulam seruabat. Eius verò stratum, ex magnis lapidi-
 bus in solo ipso compositum, parua quadam & aspera veste desuper tegebatur: quo
 loco in ipso quietis tempore cubans, lachrymis per singulas noctes, vt Propheta di-
 xit, stratum suum rigabat. Cùm enim diuinus amor intus abundè psalm accenderet
 Psal. 6. atque inflammaret, lachrymæ ipsæ tum in psalmis canendis, tum in precibus ad Deum
 Copia lachrymarum mittendis ita copiosè profundebantur, vt fontem potius vidisses aquis destitutū, quam
 sanctos & assiduè Christum spectantes eius oculos, lachrymarum expertes esse.
- Cap. 8. Indumentum illi erat interius quidem asperum, ipsius carnem asperitate affligens;
 Vestes. exterius verò tegumentum pannis constabat ex ouium lana contextis. At interior il-
 la vestis ignota erat: exterior autem corpus contegens, ab hominibus cernebatur. Ad
 Vigilia. hæc vigilabat se colligens, & Dauidis psalmos meditans, singulisque sessionibus ora-
 tionem animo valdè sobrio atque attento ad Deum fundens. Die autem modò secū,
 Preces. modò cum alijs, quæ cum illa erant, psalmorum versus recitans, dabat operam, nè
 Psal. 39. vllò tempore aut hora, eius os aut mens à Dei gloria celebranda vacaret, vt sacrorum
 carminum author Dauid cecinit: Benedicam Dominum in omni tempore, semper
 laus eius in ore meo.
- Cap. 9. Ex quo autem die monasticam vitam foemina illa ingressa est, ad illud vsque tem-
 pus, quo ad Deum migravit, nullos omninò fructus degustauit. Cumque multas ama-
 Manfuer- do & pati entia. mnas pateretur, & sororibus præesset, earumque curam haberet, ob animi summi-
 sionem, qua excelebat, nulli vnquam increpationem adhibuit, neque contumelio-
 sum aliquid ex eius ore honestissimo, ne aduersus minimum quidem aliquem, aut
 magnum, seruum, aut liberum hominem profectum est: præsertim cùm sapius au-
 diret, diabolica tentatione illa omnia se facere. Omnes igitur mansueto animo & re-
 cto corde perferebat, ad futuram illam mercedem semper animū attentum habens.
 Cùm verò quatuor anni præterijssent, ijs, quæ cum illa erant, persuasit, vt è loco in
 quo manebant, exurgerent, & ad priuatū & omninò remotum montem secederent,
 in quo possent solitariam vitam degentes, Deo ipsi operam dare, & ab omni huma-
 na consuetudine separari.
- Cap. 10. Cùm igitur quæcunque ad proprios vsus possidebant, ea omnia pauperibus dis-
 tribuissent, ardenti animo ad id, quod sibi proposuerant, se preparabant. Adierunt
 Quirit cum suis mona- libus locum solitariū, vt liberius Deo vacet. igitur virum quendam virtute præditum, & Dei amatissimum, Matthiam nomine, pre-
 sbyterij honore decoratum, & eorum, qui se in vita monastica exercebant, oculi præ-
 sidentem. Ille cùm vitæ honestæ esset studiosus, & earum mentis ardentem affectum
 vidisset, beatæ Athanasie dixit: Tuum quidem & earum, quæ tecum sunt, bonum est
 & valdè laudabile propositum: sed quoniam vos video ita exercitatione affligas, vt
 infirmissima sitis, moneo nè durissimis vitæ legibus vos ipsas tradatis. Itaque si meum
 consilium suscipitis, vos in quendam locum perducam, in quo poteritis ita, vt decet,
 versantes, benè vobis ipsis consulere. Habebitis etiam me infirmitati vestra opitulante-
 tem, vobisque toto animo & omnibus viribus ea, quibus indigetis, ministrantem.
 Hæc cùm dixisset, sanctæ mulieri, & ijs, quæ cum illa erant, persuasit, vt eum promp-
 tissimo animo sequerentur. Cùm verò prope locum accessissent, eum beata illa mulier
 contemplata, valdè hilaris coepit dicere: Hunc ego locum iam pridem mentis lumi-
 ne contemplabar, & vt opinor, hinc in posterum viuemus, vitæque finem excipiemus.
- Cap. 11. Erat in loco illo sanctum protomartyris Stephani templum, tum gloria, tum ve-
 tustate clarissimū. Beatus igitur ille Matthias, nutu eius Episcopi, qui regioni præside-
 bat, illic mulieres illas collocauit, omnemque curam eis adhibuit. Insuper virtutis
 Matthias egregi⁹ monachus, locū eis aptè prouidit. exercitationi valdè studebat, continentia, inquam, & vigilijs multis, cùm per totam
 noctem & psalterium recitaret, & preces quamplurimas ad Deum funderet, dormi-
 ensque non supra latus, sed sedens, somnum, quantum satis esset, caperet. Tanta ci-
 tas erat illius viri compunctio, tum in psalmis canendis, tum in offerendo diuino &
 incruento sacrificio, vt qui eum videbant, multam ex ea re vtilitatem perciperent.
 Vestis autem aspera contentus erat: quam cùm vnica ferret, carnem ipsam horri-
 biliter domabat. Cùm verò Iohannis Apostoli, qui recubuit super pectus Domini, ef-
 fet valdè studiosus, & eius die festo ac memoria instante, incruenti sacrificij ministrum

rium celebraturus esset, maxima cōpunctione affectus, vni ex ijs, qui præsentes erant: Num, inquit, aliquis est dignus hodierno die, qui Ephesum proficiscatur, & sanctum Apostolum Iohannem contempler? Cumque hæc dixisset, fontes lachrymarum ex oculis emittens, gemitum è corde proferebat. Res igitur oblata est, eius fide & in discipulum Domini charitate digna. Nam ab initio sacræ illius mysteriorum celebra-

S. Iohannes
adest sacri-
ficati Mar-
thiæ.

tionis, quoad res diuina completa est, sanctissimum Apostolum Iohannem in ara illa sancta secum vnà stantem videbat: neque solus ipse eum cernebat, sed duo etiam alij, qui vnà præsentes erant, cum incruentum sacrificium celebrabatur. Ad tertium igitur vsque diem permansit ita cōpunctione illa se oblectans, vt humani cibi particeps fieri non posset.

Ad hunc beatum Matthiam accessit homo quidam, totius corporis compages remissas & dissolutas habens: cuius misericordia commotus vir ille, chlamyde, qua indueus erat, seipsum exiit, & in eius humeros eam imposuit. Quo facto, eius compages cum stridorem magnum emisissent, statim homo ille sanus factus est. Cuidam verò alij faciem habenti, diabolo auctore, peruersam, honoratæ manûs suæ signaculo curationem attulit. Quinetiam vetulæ mulieri, impuro spiritu detentæ, & ad beatum illum virum Matthiam accedenti, illius precantis perseuerantia factum est, vt Deus ipse paucis diebus sanitatem conferret. Aliâ quædam mulier, habitu monastico induta, impuro spiritu vexabatur, & ad monasterium accessit. Cum igitur ille ingressus, eam solam vidisset in ecclesiâ prauo spiritu laborantem, misericordia commotus, in cælum manus erexit: cumque, quantum satis esset, orauisset, & ad eam conuersus esset, tær Crucis signaculum ipsi adhibuit. Quo pacto, prauus ille dæmon au-

Cap. 12.

Sanat para-
lyticum.

Itém diuer-
sos homines
malo spiri-
tu vexatos.

fugit, & fœmina illa sana deinceps permansit. Hæc nos perstrinximus, vt vitæ, quam vir ille tenebat, præstantiam declararemus, & signorum gratiam à Deo illi concessam, omnibus manifestam faceremus.

Sed nescio quomodo factum sit, vt cum sanctus ille homo, & Deo ipsi dicatus, na-

Cap. 13.

nem conscendisset, & ad regiam ac magnam urbem nauigaret, indicijs illis, quæ solus Deus nouit, acciderit, vt vnâ cum socijs nauigationis fluctibus marinis suffocaretur. Quamobrèm & illius sancti corporis expertes facti sumus, neque sacras illas & beatas reliquias repositas habemus, quæ nos maximè iuuare possent. Omnino enim Sanctus quemadmodum, cum in corpore erat, curationes abundè conferebat, multo magis, postquam excessit, his, qui eius reliquias attingissent, easdem afferre posset. Huius ministerio alius quidam presbyter successit, eunuchus natura, qui vocabatur Ignatius. Ille cum iisdem moribus, quibus & is, quæ suprà diximus, excelleret, sanctè admodum & Domino Deo gratus migravit: cuius sepulcrum fulgoribus quibusdam dæmonum turmas prosternit, & curationes affert. Sed ad narrationis ordinem reuertamur, sanctæ matris nostræ Athanasie facta perstringentes.

Hæc igitur beata fœmina cum multam, vt diximus, humilitatem, magnamque & singularem mansuetudinē in se haberet, sæpè Deum precans, atque in cælum intus, stupore atque excessu quodā implebatur: nubē autem lucidam, Solis radios emittentem, videbat, & in eius medio virum speciosum, formaque ita effulgentem, vt eius species singularis existeret. Cumque hoc sæpè vidisset, & eius viri adspæctum obstupesceret, secum ipsa dicebat: Ecquisnam virum hunc tam multo decore atque ornatu repleuit? Et quænam virtus ita splendidum ac speciosum effecit? Cum hæc cogitaret ac diceret, sibi visâ est vocem hanc audire: Virum hunc, cuius speciem tu admiraris, humilitas & mansuetudo ita splendidum reddiderunt: quæ cum & ipsa mirum in modum imiteris, te quoque illustrem futurâ manifesto scias. Quotidiè igitur hæc contemplans, ita duabus virtutibus se ornauit, vt in illa iræ aut superbiæ ne vestigium quidem vllum appareret. Quæ verò ad earum virtutum celsitatem ascenderrat, quæque cælestem visionem puro cordis lumine inspexerat, mirum non est, si admirabilibus signis Deus eam ornauit.

Eccè quid
antiquitas
senferit de
reliquijs.

Multa sunt
miracula ad
tumulum S.
Ignatii mo-
nachi.

Cap. 14.

Viso S.
Athanasie.

Mansuetu-
dinis & hu-
militatis est
studiosissi-
ma.

Etenim cum quodam die ipsa sederet, & Deo operam daret, ad eam venit homo quidam oculos multum dolens, eamque rogans, vt pro ipso Deum precaretur. Illa verò humilitatem suam ostendens, quasi eum cōsolaretur: Et mihi, inquit, huiusmodi morbus molestiâ attulit. feras igitur, & Dominus te curare poterit. Ille verò cum nequaquam discederet, sed curationis se compotem fieri cum fide multa postularet, beata illa mulier manum suam super ipsius oculos imponens: Ille, inquit, Christus, qui cæcum natum curauit, det tibi, frater, perfectam istius morbi curationem.

Cap. 15.

Iohan. 9.

Cæcum fa-
nat.
Cap. 16.

Aedificat
tria templa.

Iohannitus
vir sanctif-
simus.

Cap. 17.

Visio alia
S. Athana-
sia.

Moribunde
facies instat
luminis ful-
get.

Cap. 18.
Dies festus
Assumptio-
nis beate
virginis.

Migrat ad
Dominum.

Hæc cum ille audisset, & firma fide accepisset, statim illo ipso tempore optatam san-
nitatem affecutus est.

Postea verò, quàm Athanasia prope templum illud protomartyris Stephani su-
pradictum, alia tria templa ædificauit, celeberrimæ Dominæ nostræ & Dei genitri-
cis Mariæ, Iohannis præcursoris, & Nicolai illius diuini præconis, necessitate postu-
lante, ad regiam Vrbe[m] profecta fuit, ibique in monasterio sex vel septem annos mo-
rata est. Quod molestè ferens: Exul, inquit, facta sum è templo illius, quæ Deum pe-
perit: quo derelicto, en hîc moror. Cùm igitur diuina quædam visio illi oblata esset,
ausa est ijs, quæ cum illa versabantur, dicere: Tempus iam instat, vt ad eum locum
abeamus, vbi olim nos sedebamus. Vidi enim in mentis excessu templi Dominæ &
sanctissimæ Mariæ, quæ Deum genuit, fores patefactas, nosque illuc introire iussas.
Cumque hæc dixisset, ex vrbe illa regia migravit, & Dei verè preciosum illud vas ad
desideratum locum venit, qui vocatur Timia, nomine ipso ab honore deducto. dece-
bat enim honestum locum illum eius præsentia honorari, & appellationem veram,
ac factis ipsis comprobatur, habere, vt à quodam perspicacissimo viro ac patre mul-
tis annis antea præuisum fuerat. Hic, quem dixi, Iohannitus fuit ille laudatus & infi-
gnis vir, cuius gloria per totum orbem terrarum celebratur. Hic, inquam, diuinus vir,
cùm per eum locum transiret, prophetico spiritu pronunciauit, decere locum illum
honorari quorundam sanctorum corporum collocacione. Id quod postea factum fuit.

Cùm igitur beata mulier eò peruenisset, & paucos quosdam dies illic vixisset gra-
uissimo quodam morbo correpta est, & duodecim diebus, antequàm è vita disce-
deret, de ea re mysterio quodam edocta fuit. Vidit enim viros duos, albis vestibus in-
dutos, ad se venientes, & paginam quandam ei tradentes, in qua hæc scripta erant: En
libertas tua hæc est: sume hæc, & lætare. Beata verò mulier cùm ad se redijisset, & vnam
è sororibus ad se vocasset, singularem ei omnia narrauit. Totis igitur illis duodecim
diebus mansit assidue contemplationi dans operam, neque cibi, neque potus parti-
ceps fiebat, nihilque aliud, nisi hoc dicebat: Plallite, sorores meæ, psallite, & Deo af-
siduè laudate, vt propitius sit peccatis nostris. Cùm igitur duodecim dies venisset,
sancta mulier alias, quæ cum illa erant, affata: Succurrite, inquit, quæso infirmitati
meæ, & in ædem sacram ingressa, versus, qui mihi dicendi essent, vos Deo reddite:
non enim possum amplius psalterium, complere, cùm omninò vis mea deficiat. Illæ
verò cum clamore & lachrymis respondentes: Ad quemnam, inquit, psalmum ipsa
peruenisti, & videntiam, quod reliquum est, nos incipiemus? Illa sensim respondens:
Nonagesimum, inquit, psalmum in ore habeo: sed infirmior facta, vterius progredi
non possum. Illæ cum hæc audiuissent, ad ædem sacram ingressæ, reliquos psalmos
compleuerunt. Cumque exijissent, in faciem ceciderunt, & vlulatum magnū emitten-
tes, sibi preces à sancta muliere impartiri postulârunt. Illa verò omnibus quidè parti-
ter benè precata est: Marinam autè & Euphrasiam vlnis suis honoratis amplexa: En,
inquit, sorores meæ dilectæ, ex hoc ipso die à nobis separamur: sed in futuro illo secu-
lo rursus nos Deus coniunget: det autem vobis pacem, charitatem & concordiam,
& impleat vos omnibus bonis suis. Hæc & alia cùm dixisset, eius facies instat luminis
effulsit, ita vt qui ad eam videndam eò venerât, admiratione & stupore afficerentur.

Quoniam verò dies festus aderat, quo sanctissimæ Dei genitricis Assumptio cele-
bratur, omnes sic admonens: Videte, inquit, nè quid eorum, quæ ad diem festum
pertinent, insectum prætermittatis: itaque & psalmorum ordinem, & ministerium
in ipsos egentes pro viribus diligenter exequamini: deinde post diuinum rei sacræ mi-
nisterium humile hoc corpus meum terræ mandetis. Hæc cùm præcepisset, & duas
sorores, quas suprâ diximus, amplexata esset, in pace dormiuit ac requieuit: ita vt
qui eam viderût, communi somno requieuisse crederent. nam ore atque oculis clau-
sis, minimè illi opus fuit, qui hæc honestè componeret. At sorores, ad sanctas eius
reliquias se abicientes, & suam orbitatem deplorantes: Quoniam, inquit, nunc
abijisti, mater nostra sancta, & immortalitatis cognomen habens? Quomodo nos
ita orbas dereliquisti, è nostro conspectu euanesces? Vbinam posthac angelicam
faciem tuam adspiciemus? Vbi vocem illam tuam audiemus, qua nostra corda ex-
hilarerentur, & ad bonorum operum studia excitentur? Extinctum est nostra spei fo-
mentum. Tu nunc dormis, & nos in segnitia, velut mortuæ, iacemus. Non amplius
te nobiscum vnâ versantem habebimus: elegit enim te Dominus, & ad mansiones illas
æternas vocauit.

Cum

Cum hæc & his similia lamentata fuissent, & consuetum officij canonem in ea compleuissent, post mysteriorum tempus, sacrum illud corpus in loculis repositum, in terra congruenter condiderunt. Quæ verò mulier in eius locum successit, prope sepulcrum permanens, neque nocte, neque die illinc discedebat, lachrymans, & beata illa foemina se orbatam lugens. Cui Athanasia in somnis apparens: Esto, inquit, bono animo, & certò fore scito, vt, completis quadraginta diebus post meum obitum, recipiam quod à Deo ipso receptura sum. Hæc igitur cum in somnis vidisset, experrecta dubitabat, quidnam hoc visum, & sanctæ mulieris verbum significaret. Cumque quadagesimus dies venisset, quæque sorores monasterium habitabant, id oblitæ (vt sæpè visu euenire solet) post duos dies illum quadagesimum diem futurum existimarent, eius diei vespere sorori, quæ supradicta est, Athanasia beata illa foemina se offerens: Cur, inquit, ita quadagesimos dies meos neglexisti, neque quæ ad pauperum distributionem, neque ea, quæ ad amicos benignè accipiendos pertinent, præparasti? Hoc viso illa percussa, & ad se rediens, ac diligenter dies numerans, cognouit tempus illud vesperam esse quadagesimi diei, quo sacra psalmorum cantio celebrari deberet.

Cum igitur dies illuxisset, & diuinum officium celebrari cœpisset, duæ, quæ illius sacri & monastici chori principem locum tenebant, quarumque cordis oculos Deus aperuerat, vt horribile illud visum animaduertent, duos quosdam viros contemplata sunt specie terribiles, habitu effulgentes, & beatam Athanasiam mediam habentes: quam cum duxissent, & ante sacram aram constituissent, purpuramque preciosis lapidibus ac margaritis ornatam protulissent, regali habitu eam induerunt, & corona, Crucem & antè & retrò habente, caput eius cinxerunt: cumque virgam gemmis ornatam in manus ei dedissent, eam ad diuinam aram perduxerunt. Hæc igitur viso cum quadagesimo die contigisset, locus, in quo sanctæ mulieris reliquæ infra terram iacebant, stridorem emittere cœpit: idque assidue per totum anni tempus faciebat.

Cum verò anniuersarius dies, quo sancta illa mulier obierat, iam venisset, ecce viri duo adfiterunt, & cum ipsis misera quædam mulier, prauis spiritibus vexata: qui spiritus supra sanctæ illius mulieris reliquias debacchantes, redarguti sunt. Manibus igitur regumentum illud, quod supra sanctæ Athanasie reliquias impositum fuerat, amouentes, arcam è monumento extraxerunt. Quo facto, mulier illa spiritu malo agitata, curationis statim compos facta est. Sacri verò illi viri arcam illam inspicientes, eam viderunt vndique suauissimi odoris vnguento diffluentem. Cum igitur diligenter eam patescissent, Athanasiam inuenerunt ita decorè positam, vt recens mortua fuisse videretur. nam & eius oculi luminis speciem præ se ferebant, & labra, & totum illud beatum corpus sanum, integrum & intactum videbatur, teneris adhuc carnibus, & manibus in rectum protensis, neque aliqua ex parte impeditis. Cum illud igitur venerati essent, & lachrymas effudissent, arcam munièrunt, & in omni conspectu ponendam esse, sanctè iudicârunt.

Postea verò quam in aliam arcam translata fuit, in qua & nunc beata illa reposita est, monacha ipsæ veste priore illam exuentes, alia quadam sericis filis contexta, & colore caruleo eam induere cupiebant: sed minimè Athanasia sancta eis obtèperabat, manus ipsas tenens pectori adherentes, & vestem illam renuens. Vnà igitur è choro illo, quæ omnibus virtutibus effulgebat, & sancti Spiritus vas quoddam erat valde preciosum, flexis genibus sic eam precata est: Quemadmodum quo tempore nobiscum versabaris, obedientiam sine aliquo discrimine præstitisti: ita & nunc libenter sine obediens velis, & humilem tunicam tibi oblatam te indui patiaris. Hæc illa cum, perinde ac si viueret, audiisset, manus statim relaxauit, & tunicam, quam diximus, accepit, ac deinde ad sanctam illam arcam se reclinauit.

Operæ precium verò est pauca quadam, quæ postea facta sunt, miracula commemorare, & ita orationi finem imponere, Cum non multi dies præterissent, puella quædam, annos ferè duodecim nata, impuro spiritu detenta, cadens & spumam emittens, ad sacre mulieris sepulcrum adducta est: cumque illic quadraginta dies permansisset, diuina ope adiuta, sana redijt. Alius quidam puer, annos ferè octo natus, in manu ipsa dæmonem habebat. Hunc vt passerem quendam nigrum ad manum suam venientem, & illic sedentem videbat, à quo & manus ipsa commouebatur. Quare miserabiliter afflictus puer ille, cum totos septem dies apud diuinas

Cap. 19.

Quadagesimus dies defunctorum iam olim obseruatus.

Cap. 20.

Visio de gloria S. Athanasie.

Cap. 21.

Dæmoniacam sanatur.

Nota rem admirandam de eius facto corpore

Cap. 22.

Viuunt Sancti, & nostras res.

Cap. 23.

Puella quædam ad eius sepulcrum à dæmone liberatur.

Demon à
puero de-
pellitur.
Cap. 24.

sanctæ mulieris reliquias permansisset, sanctissimi Spiritus ope curatus est.

Alius quidam conditione seruus, fide verò liber, occulto dæmone vexatus, & in-
super aqua intercute totum corpus, instar vtris, tumefactum habens, ad monasteri-
um illud venit, & sanitatis compos fieri suppliciter postulabat. Illi ergo beata Athana-
sia in somnis apparens: Expecta, inquit, frater, paululum, & ego tibi, diuina ope ad-
iuuante, curationem afferam. partem enim quandam meci corporis ad te mittam,
qua morbo isto liberaberis. Audiuit hæc vir ille, & fuit bono animo: & post men-
sem vnum nocte quadam in mentis stuporem incidens, seipsum vidit vndique à
templi recto aqua defluente madefieri, & omnibus candelis extinctis, ad sanctas be-
atæ mulieris reliquias confugere: stridoreque magno ex arcula emissò, vocem ad
se venientem audire sibi videbatur, quæ ita diceret: Aperi citò os tuum, aperi. Quod
cum ille fecisset, hilaris, quod missum fuit, excepit, simulque sanitatem recuperauit.
Cum verò dies illuxisset, omnibus, quæ in monasterio erant, curationem suam cla-
ra voce predicabat. Cumque omnes concursu magno illuc venissent, & causam
eius rei edificere cupiissent, tum ille donum, quod acceperat, è sinu protulit, vin-
guem videlicet magni digiti è sanctæ mulieris pede missum, ac paruo quodam pan-
no inuolutum. Abijt igitur vir ille sanus, diuinam gratiam, & sanctæ mulieris glori-
am celebrans.

Per visum
hydropicus
idemque
dæmonia-
cus sanatur.

Cap. 25.

Manus ari-
dæ restitui-
tur.

Dæmonia-
ca iubetur à
S. Athana-
sia confiteri
peccatū su-
um, & ita
sanatur.

Aliquando cum eius sancta memoria celebraretur, & multus populi concursus fa-
ctus esset, mulier quædam, nomine Theodota, manum arefactam habens, curatione
assequi suppliciter postulat. Vna igitur è sororibus, cum eam apprehendisset, & maxillæ
sanctæ mulieris, quæ in arca erat, admouisset, sanam atque integram Dei ope illinc
extulit. Alia verò quædam mulier cum occulto spiritu vexaretur, & multos dies illic
permansisset, re infecta ac tristis domum suam reuerfa est. Vidit autem sanctam
minam talia sibi dicentem: Tu fraudem viro tuo fecisti, & animam tuam in grauem
mortem iniecisti. Vade igitur, & erratum tuum proferas, & ego mali dæmonis vexa-
tione te liberabo. Hæc cum mulier audiisset, & ea, quæ audiuerat, fecisset, diuina ope
adiuta, sanata est. Alia quædam mulier infantem puerum mammam sugentem ferens,
cui tum dexter oculus extinctus, tum manus & pes torpens, & motionis expers erat,
ad sanctæ illius sanitatis datricem arcam eum adduxit. Post paucos verò dies illum
sanum receptum, in propriam domum gaudens retulit.

Cap. 26.
Alia mira-
cula.

Alia quædam tam malè oculorum morbo laborans, vt ei tanquam poma aliqua
oculi penderent, ad eius arcam accessit, & capite supra sanctas reliquias imposito,
sanitatem assequi precibus postulabat. Cum igitur duobus aut tribus diebus perman-
sisset, Dei ope adiuuante, sana facta est, eius oculis ad priorem statum restitutus. Puer
verò duodecim ferè annos natus, cum manus & pedes torpentes haberet, ad eius
sepulcrum accessit. Cumque nondum pauci dies præterisset, diuina visione puer
ille dignus factus, & proprijs pedibus inambulans, domum suam reuersus est. Quod
miraculum per beatam mulierem editum omnes obstupescabant. Collum puellæ
cuiusdam, quæ Maria vocabatur, & in monasterio habitabat, graui morbo labora-
bat. Cui beata Athanasia in somnis apparens: Asperam, inquit, tunicam meam acci-
pias, & morbo admoveas. Id cum illa è somno excitata fecisset, statim curationem
ipsam admirabiliter assecuta est.

Cap. 27.
Item Mari-
na sanatur à
ventris sui
doloribus.

Fides huius
histonæ.

Marina verò, cuius supra mentio facta est, multo tempore graui morbo ex ventre
laborauerat. Cum igitur lauri folium sumpsisset ex ijs, quæ tunc super arcam illam
posita erant, & supra morbi locum tribus diebus reliquisset, perfectam sanitatem ac-
cepit. Hæc, quantum vobis religiosis monumentum esse possint, mediocriter à no-
bis dicta sunt. Singulatim enim omnia persequi, non solum supra vires meas est, sed
neque ijs facile erit, qui & vita meliore sunt, quam ego, & orationem vitæ parem ha-
bent. Ego verò cum ingenio sim valde tenui, & sublimioris orationis omnino ex-
pers, prouinciam hanc suscepi, non vana securus figmenta, sed quæ tum ipse propri-
js oculis vidi, tum à sanctis mulieribus, cum hæc dicerent, audiui, è quibus fuit & fe-
licissima mater nostra. Quæ omnes cum per totam vitam rebus gestis excelluerint,
& Athanasie beatæ mulieris facta cuncta benè nouerint, illis ego credidi. Earum au-
tem vitam, & optimam maximæque vtilitatis conciliatricem institutionem, alijs suo
tempore scribendam prætermittamus.

Cap. 28.

Tu verò beata, & immortalitatis appellatione prædita, diuinorumque Angelo-
rum contubernalis Athanasia, quæ propter Christum benè paupertatem exercu-
isti,

isti, & diuinis muneribus diues facta es: quæ assiduè lugens, consolationem istam tibi comparasti: & mansuetudine oblectata, mansuetorum terram recepisti: & in fame & siti vitam ducens, perennes delicias inuenisti: misericordemque animam habens, à Deo ipso misericordiam magnoperè consecuta es: tu, quæ corde puro splendorem sancti Spiritus excipiens, & in animo pacem habens, eiusdem sancti Spiritus diuersorium, & vt summam dicam, omnium bonorum thesaurus, ob idque maximo lumine digna facta es, cum sanctorum turmis simul versans, & cum iustorum choreis hilaris vnà chororum ducens: sis nostri memor, qui factis tuis latamur: cura sororum gregem, quem proprijs laboribus congregasti: respice vitam nostram, multis huius mundi fluctuationibus agitatam: vt per tuas preces sanctè viuentes, & laqueis diaboli fortiores redditi, tecum vnà sempiternis bonis digni efficiamur, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi: Cum quo patri simul cum sancto Spiritu sit gloria, honor & adoratio nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Author in-
uocat S.
Athanasia.

ORATIO, QUÆ TRACTAT A VENERANDO
ORTU ET EDUCATIONE SANCTISSIMAE NOSTRAE
Deiparæ, & ortu Christi Dei nostri, & quæcumque contigerunt ad viuificum eius deces-
sum. Et præterea quomodo in apertam prolata sit preciosa eius vestis: Et quemad-
modum hæc magna opes fuere Christianis recondita: Authore Simeone Me-
taphraste, qui grauisimorum Patrum vitæ testimonijs. Hanc ora-
tionem in gratiam Lectoris per Capitula ad mar-
ginem adiecta distinximus.



PORTEBAT re vera Virginem, sicut ipsa Dei ad ho-
mines venturi inuenta est dignum & Deo conueniens
habitaculum, ita nunc illam ad encomij argumentum
nobis propositum, dignam linguam esse consecutam,
quæ res eius eleganter narraret, & conuenientem ei lau-
dem afferret. Sed quoniam quo hoc est maius, eo dif-
filius explicari potest, pro viribus saltem alacri animo
danda est opera, vt texamus eius laudationem. Scit enim
ipsa quoque, filij cedens legibus, gratum habere id, quod
fit pro viribus. Dicendum est ergò, & diligenter nar-
randum, & vnde orta sit, & quos parentes habuerit, de-
que educatione eius, & sine vitæ: quin etiam quæcumque illi contigerunt ex diui-
na prouidentia, & arcanis rationibus. Quod si oratio alia quoque comprehendit,
& necessariò persequitur, non est à ratione alienum, quod factum est: omnia enim
ad eam referuntur, eiusque sunt gloria & encomia. Quorum narratio non erit no-
bis absque fidedignis testibus, nec sumetur ex personis quibuslibet: sed quam viri,
quibus iure credendum est, & qui simul cum doctrina egregiam quoque vitam attu-
lerunt, diligenter composuerunt: Gregorius, inquam, Nyssenus, Athanasius Alexan-
dinus, Dionysius Areopagita, & multi alij, qui nec sunt vulgaris, vt diximus, eruditio-
nis, & sunt vita admirabiles: Et, quod maius est, quam ipsum quoque diuinum refert
Euangelium.

15. Augusti.
Cap. 11.

De quibus
dicturus sit
Author.

Quibus re-
fibus vsu-
rus.

Iam enim diuinus Gregorius in oratione, quæ de ortu Christi ab ipso est com-
posita, hæc de ea tractat: Audiui, dicens, arcanam quandam & occultam histo-
riam, de ea hæc narrantem: Erat insignis in accurata vitæ, quæ est ex lege, insti-
tutione, & inter optimos apprimè notus, pater Virginis. Consenuerat autem si-
ne liberis, quod non erat eius coniunx apta ad procreandos filios. Erat verò ex
lege quidam honor matribus, quem non adipisciebantur, quæ carebant filijs. Imi-
tatur ergò ea quoque illa, quæ narrantur de matre Samuelis. Et cum fuisset in
trà templa sanctorum, sit supplex Deo, rogans, nè excideret ab ea, quæ est ex le-
ge, benedictione, cum in legem nihil peccaret: fieret autem marer, & Deo con-
secraret id, quod pareret. Cum nutu autem diuino confirmata esset ad gratiam,
quam petierat, postquam peperit puellam, eam quidem nominauit Mariam: vt
vel ipsum nomen significaret, à Deo datam esse gratiam. Cum verò iam creuisset
puella, vt non amplius opus haberet sugere mamillam, eam Deo tradidit, & pro-
missum

Cap. 2.
Ex Grego-
rio Nysseno

1. Reg. 1.

Nascitur S.
Maria.